



*Amor für Gott*

Ee, 4

*H.  
R. 14.*

QVVM  
**NATALEM QVINQVA-**  
**GESIMVM**

**FRIDERICI,**  
**REGIS BORVSSIAE**  
FRIDERICIANA CELEBRARET,  
EODEMQUE DIE

**FRIDERICVS**  
**HOFFMANNVS,**  
REGIVS CONSILIARIVS, MEDICINAE  
ET PHILOSOPHIAE PROF. PUBL.  
**PRORECTORIS**  
MVNVS CAPESSERET,  
OFFICII SVI RATIONEM BREVITER  
EXPLICARVNT  
EIVSD.  
**MAGNIFICI PRORECTORIS**  
DOMESTICI ET CONVICTORES.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS CHR. HENCKELII, ACAD. TYP.



Væ boni faustique ominis sunt, & quæ maxime conueniunt in natalem summi Principis, ea nobis religiose & suscipienda hodie, & peragenda esle, si quem fugebit, eum A-

**I**cademiæ ciuem an dicamus, multa sane distrahimur dubitatione. Sciri enim oportebat, augs-tissimi REGIS FRIDERICI, DOMINI nostri multo clementissimi, natalem quinquagesimum, omnibus exopatisimum, hoc die celebrari, quo vota pro Eius incolumentate, totiusque Regiae gentis, publice nuncupantur. Neque hoc fas est ignorare, Regiam hanc Academiam, sapientissimi FRIDERICI immortale monimentum, Eiusdem Conditoris sui prouidentia, miraque liberalitate, nouo iam ornari beneficio, dum Academiæ ciuibus, boni ordinis caussa, magistratum constituit, cuius ministerio tranquille omnia, & ad publicam felicitatem adornentur. Suscepit superiore anno fasces Academicos, quos nunc ponit, Excellentissimus LYDWIGIVS, Regius Consiliarius, & ordinarius vtriusque iuris, itemque Philosophiae Professor, Vir multarum functionum satagens, atque huic Academiæ non inficiandus: & quis est omnium, quin exploratum habeat, quanta sit, quam FRIDERICIANA felicitatem, quantæ, quas accessiones hoc PRORECTORIE habuerit. Ingens sene studiorum prouentus fuit, quorum sexcenti, & amplius, accesserunt, illustres, generosi & nobilissimi iuuenes: ingens etiam, quod præterea com-

mo-

modum in hanc Academiam est deriuatum. Nunc  
 rebus administrandis præficitur, quem omnes ex  
 singulari doctrina & prudentia cognorunt, Ex-  
 cellentissimus HOFMANNVS, itidem Regius  
 Consiliarius, & Medicinæ pariter ac Philo-  
 phiæ meritissimus Professor. Quo rerum mode-  
 ratore quid exspectari publice, quid seorsim a  
 ciuibus possit, exponent illi, a quibus ante hoc  
 decennium in eadem purpura conspectus est;  
 nec ceteri illud difficulti coniectura apprehen-  
 dent. Medicum mireris ad munus tam arduum  
 admoueri, Medicum Musis præfici: sed non alio  
 magis, quam medico, opus est, sicuti morborum  
 varia genera inualuerunt; nec peruersum est, si  
 in Apolline hæc sociantur, medicina & reliquæ  
 doctrinæ, Apollinem & medicinæ & Musis præ-  
 sidem adsignari, vti antiquitas ad vnum illum  
 hæc duo munera referebat. Medicam vero sci-  
 entiam Excellentissimus Vir, cui fasces hodie  
 commendantur, non tantum aduersus pericula  
 corporis, sed, in quo maius momentum est situm,  
 animi quoque, egregie calleb, &, quod nullus  
 dubitet, multis id per hunc annum euincet expe-  
 rimentis. Est huius sæculi labes quædam, vir-  
 tuti inuidere, ita Marcum Tullium audimus, pro  
 Balbo dicentem. Sitne eadem labes nostri quo-  
 que sæculi, consideremus. Quod si est comper-  
 tissimum, ecquis non peritisimos quosque me-  
 dicos circumspiciat? quis non eosdem suspiciat,  
 morbo auertendo pares? quumque in hac Aca-  
 demia eiusmodi quiddam verendum sit, quis

non

non experientissimum HOFMANNVM Academico coetui gratuletur? Bene erit, si nihil tale, quod medici opem requirat, futuro anno circa honestum iustumque contigerit; interim prouidentiam haud quisquam coarguet: potest enim aliquid contingere, ut est rarissime morbus a tanto grege alienus. Epilepsia certe, sacer morbus, qui dicitur, sed, si de mente accipiamus, omnibus modis exsecrandus, plurimorum artus permeauit, dum iam hoc virtio, iam isto, iam alio, misere corripiuntur. Nec pauciores podagra scimus adfligi, qui pigre ad id, quod est sui muneric, coeunt, domi confidentes, aut extra domum, ut nihil agendo male agere perdiscant. Sunt hi morbi, quos auerruncari haud posse vulgo existimatur; sed falso. Secus docebit excellens hic Medicus, acerrimus corrigendae naturae censor, idemque medicinæ repertor felicissimus. Proinde ciuium quorumuis in eo munus consideratur, ut, quem sapientissimus REX FRIDERICVS, DOMINVS noster indulgentissimus, Academiæ suæ ProRectorem FRIDERICVM præfecit, hunc omnes intueantur, eique sapientiam, qua quidem pollet, at duraturam, de cælo exoptent. Nos illos hac in parte imitamur, qui præcedunt; etiam ceteri sequantur. Nos & FRIDERICI REGIS salutem, & omnis Borussicæ gentis, & florem FRIDERICIANAE nostræ, supremo Rectori, Deo, precibus commendamus, &c, id quod nostrum est speciatim officium, Magnifico PRORECTORI, Patrono nostro, de publico munere, quod hodie capesius, diligentissime atque ex animo gratulamur.

Ua 933<sup>a</sup>  
I. 4°





